

LVNÆ DIE 15 M. DECEMBRIS A. 2014

A.d. XVIII Kal. Ianuarias a. MMXV

I 8 3

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

CVLTVS VITÆ – CVLTVS MORTIS

– scripsit Gaius Licoppe –

In *Melissæ* fasciculo 180 scripsi de vestitus pondere in Cultu civili atque opinionem Brunonis Nassim Abouddrar, Sorbonensis professoris, de differentia inter cultum civilem Occidentalium et Orientalium patefeci.

Incidi nunc in symbolam a clara sociologa Syriaca Wafa Sultan conscriptam de recentibus eventibus bellis in territorio Gazæ; digna mihi videtur, quæ notior fiat, quod nos iuvat ad atrocitates, quæ nunc multis in regionibus fiunt, sed præcipue in Syria et Iraquia, melius intellegendas. E versione Francogallica¹ in Latinum præcipuas huius symbolæ partes verti.

«Mea parum refert, ait, aliis satisfacere, alios defendere, aliorum iram vitare; quare dicere possum *Hamas* tantum esse islamismi fructum terroristicum, qui populum Gazæum tam male curat, ut gubernando sit indignus.

«Hic vero agendi modus est assuetus, nam in historia islamica scelesti islamistæ proprios cives numquam respexerunt. Trucidare mahumetanis est gaudium; nisi hostem invenerunt necandum, inter se necantur.

«Fieri non potest ut gentes, quæ liberos ad mortem et martyrium educant, ut creatori suo placeant, eos simul doceant amorem vitæ. Cuius pretii est vita in humana societate, quæ liberis inculcat necesse esse sive trucidare, sive trucidari, ut Paradisum mereant?

«Ab initio Israelianorum impetus in territorium Gazæ, sescentas mahumetanorum epistulas accipio, quibus sententiam meam de his eventis petunt. Hæc autem eventa ad me non spectant; mea tamen interest scire, qua de causa homines ad me scribant.

«Persuasum habeo causam non esse horrorem, neque condemnationem mortis, quæ Gazæ sævit; nam, si ita esset, iidem aliis occasionibus etiam scripsissent, quibus vita fuit in discrimine.

«Amplius ducenta milia Algerianorum mahumetanorum his quindecim proximis præteritis annis trucidati sunt ab aliis Algerianis mahumetanis; nullus tamen mahumetanus inde commotus est. Algerianæ feminæ ab islamistis obstupratæ narraverunt istos Allah precatos esse eiusque Prophetam imploravisse, antequam stuprum inferrent. At nemo sententiam meam petivit.

«Amplius viginti milia Syriacorum mahumetanorum a regimine anno 1983 trucidati sunt, nullo mahumetano reclamante; neque ullus sententiam meam petivit de his statalibus cædibus.

«Mahumetani se ipsos disploderunt in deversoriis Iordanis, innocentes mahumetanos necantes, qui matrimonia celebrabant, signa scilicet pretii vitæ; nemo in mundo reclamavit, nec quisquam sententiam meam petivit.

«In Ægypto, islamistæ Copticum vicum nuper aggressi sunt ac viginti unum rusticos trucidaverunt. At nullus mahumetanus hoc scelus vituperavit.

«Saddam Hussein permulta milia chiitarum et Kurdororum trucidavit, multo plures etiam gazo venenato interfecit, ne uno quidem mahumetano reclamare audente tantave scelera condemnante. (...)

«Mahumetanis vita nullius est pretii; nisi ita esset, denuntiavissent iniurias vitæ factas, quacumque est victima. Palæstinenses eorumque fautores denuntiant cædes in Gazæ territorio, non tamen ob vitæ amorem, sed ut interfectores ostendant. Si interfectores esset mahumetanus ad *Hamas* vel *Fatab* pertinens, nulla fieret reclamatio.

«Televisionis statio CNN documentum de Gaza nuper diffudit, ubi monstratur mulier Palæstinensis lamentans clamansque: ‘Quidnam fecerunt nostri liberi, ut hoc modo tractarentur?’ Quis re vera scit? Fortasse agitur de eadem femina, quæ duobus annis ante gaudebat, quod unus e propriis filiis se ipsum displodisset in aliqua caupona Vernicollina,² et addebat se optare, ut ceteri liberi hoc exemplum sequerentur martyresque fierent?

«Cum autem ideologia et inculcatio tam flagitiosa est, non mirandum est mulierem Palæstinensem omnem vitæ pretii sensum perdidisse; nisi ita esset, eodem modo liberos defleret, sive a se ipsis, sive bombis Israelianis interfectos.

«Ideologia islamica docet fidelem sive necantem sive necatum petere paradisum. Cur tum Gazæos lacrimis prosequamur, qui ne reclamaverunt quidem, cum alii mahumetani in Irakia, Algeria, Ægypto vel Syria trucidati sunt?

«Recordor, cum alumna essem in studiorum universitate Berœensi,³ publicum administrum Defensionis Mustapha Tlass nos visitavisse; qui hypocritice dixit hæc: ‘Israel mortem timet; interfectio etiam unius militis ei horrore est ac dolori. At nos, multos homines habemus, nec nostri mortem timent.’ Hæc est differentia inter utramque persuasionem et factionem.

«Oportet mahumetani mortis cultum respuant, ut tandem pacifice vivere possint... Quando vitam demum amare incipient?» ❧❧

1. Wafa Sultan, «Gaza, ou l'hypocrisie inégalée», in: <http://www.mediarabe.info>. Versio originalis: Aafaq.org.

2. Vernicollis: *Tel Aviv*.

3. Berœa: *Alep*.

DE ANDREA VESALIO ANTE QVINGENTOS ANNOS NATO (II)

– scripsit Gaius Licoppe –

Ut Vesalii opus bene intellegatur, imprimis oportet exquirere quid medici in Occidente de anatomia corporis humani sciverint tempore, quo *Tabulae Anatomicae Sex* in lucem edebantur. Iam antiqui medici corporis humani fabricam investigare cupiebant, sed hoc fieri non poterat sine corporum dissectione, quæ ab auctoritatibus politicis aut religiosis plerumque vetabatur.

Certe antiqui Ægyptii corpora mortuorum iam aperiebant, ut inter alios refert Aulus Gellius his verbis: «Causam esse huius rei Apion in libris Ægyptiacis hanc dicit, quod insectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci anatomas appellant...».¹

Primus medicus in anatomiam humanam incumbens, cuius memoriam habeamus, est Herophilus, qui, Calchedone natus, medicinam Alexandriae exercuit priore dimidia parte tertii sæculi a.Ch.n. Novem fere libros conscripsit, quorum nullus ad nos pervenit; aliquid tamen de eis scimus præcipue per Galeni opera. Herophilus una cum Erasistrato Alexandriae condidit medicinæ scholam, quæ mox tam clara facta est, ut undique orbis Græci affluerent discipuli. Cadavera enim dissecare Alexandriae licebat, cum alibi esset vetitum. Herophilus permulta cadavera dissecuit, sæpe coram mirantibus spectatoribus; multas internas corporis partes iam describere valuit. Celsus et Tertullianus autumant eum etiam vivos captivos prosecuisse.

Humanorum cadaverum dissectiones postea rariores factæ sunt et ætate Romana lege vetitæ. Eâ ætate inter medicos eminuit Claudius Galenus Pergameus, qui secundo sæculo p.Ch.n. vixit; ei cadaverum dissectio necessaria videbatur ad intelligendam corporis fabricationem eiusque naturales actiones; quare se convertit ad simios (generis *Macacæ Sylvani*) et sues. Etsi omnia mammalia generaliter eandem structuram habent, tamen sunt non neglegendæ differentia inter sues, simios et homines, unde oritur Galeni erronea corporis humani descriptio, quæ tamen per multa sæcula mansit indubitabilis.

Ingens erat copia Galeni scriptorum, sed parva tantum pars servata est. Post Occidentale Imperium Romanum collapsum Galenus ignotus factus est in Occidente. In imperio autem Arabico, ubi textus Græci inveniri poterant, multæ Galeni operum partes nono sæculo translatae sunt in Arabicum et exemplum erant medicinæ Arabicæ. Hæ translationes in Occidentem primum pervenerunt per Salernum et in Latinum inde ab undecimo sæculo versæ sunt; hac de causa tunc evenit, ut schola medicinæ Salernitana fieret omnium præstantissima.

Nihil novi in anatomia notitia apparet usque ad quartum decimum sæculum (id est post amplius mille annos). Tunc auctoritas papæ, qui iam non Romæ sedet sed Avennione, valde minuta est. Sic fieri potest, ut Mondinus de Liuccis (Mondino dei Liuzzi), medicinæ professor in universitate Bononiensi, licentiam tandem obtineat humanorum cadaverum dissectiones faciendi; earum primam publicam mense Ianuario anni 1315 facit, quam spectant non solum medicinæ studentes sed etiam cives curiositate compulsi. Hoc non fit sine aliqua maiestate: professor enim tabulam dissectionis de cathedra excelsa ornataque despicit; legit aliquem textum anatomicum, quem commentatur, dum demonstrator vel chirurgus dissecat; ostensor etiam sæpe adest, qui corporis partes, de quibus agitur, ostendat.

Mondinus tamen non solum demonstrationes facit, sed sæpe ipse dissecat et corpus investigat; fructus suæ experientia anno 1316 divulgat in dissectionis manuali manuscripto *Anatomia corporis humani* intitulato. Hoc est primum manuale secundum modernam mentem conscriptum; prelo Patavii datum est anno 1478; huic editioni successerunt amplius quadraginta.

Mondini tamen methodus pendebat a theoretica corporis visione: corpus dividebat in tria involucre decrescendi nobilitate prædita, quæ sunt calvaria vel superior ventriculus, animæ sedes, thorax vel medius ventriculus, sedes spiritus, et abdomen vel inferior ventriculus, sedes naturalium.



Mondinus de cathedra regit dissectionem.



Una ex imaginibus libri Iacobi Berengarii, c.t. Anatomia carpi.


Usus dissectionis a Mondino redintegratus iam non interruptitur. Iacobus Berengarius Carpensis (Jacopo Berengario da Carpi), medicus universitatis Bononiensis, anatomiam accuratius quam Galenus describit in libro anno 1522 edito, c.t. *Anatomia Carpi. Isagoge brevis perlucide ac uberrime, in anatomiam humani corporis*. Aliquid novi hoc libro inducit: imagines enim præcipuum locum tenent.

Berengarius habetur ut optimus anatomista ante Vesalium.

Tempora ante Vesalium explorantes, comperimus eum esse heredem scholæ Italicæ anatomistarum, qui ante duo sæcula restituerant usum dissectionis; Galenum respiciebant, sed iam inceperant novas notitias eius operi addere. Quod Berengarius optime significat hac sententia: «Scimus enim scientiam fieri per additionem partis ad partem et nos sumus tamquam pueri in collo gigantis: longius quippe videre possumus, quam viderit Antiquitas.»²

Redeamus nunc ad Vesalium. Iam dixi eum clarum factum esse propter *Tabulas Anatomicas* anno 1538 editas. Tunc Vesalius Galeni opus nondum despicit, cum eodem anno, ut supra iam dictum, Venetiis in lucem edat Galeni manuale anatomicum *Institutionum, Anatomicarum secundum Galeni sententiam ad candidatos medicinæ libri quattuor*.

Galenus phlebotomiam ut remedium multorum morborum proponebat. Nil mutatum tempore Vesalii, nisi disputatio de loco corporis, quo oporteat phlebotomiam facere. Vesalius agit secundum Græcorum rationem a Galeno quoque commendatam, i.e. sanguinem mittere e loco proximo a morbi situ, cum eius collegæ universitatis Bononiensis potius sequantur methodum



Vesalii schema anatomicum ab artifice delineatum.


Arabicam Medii Ævi, i.e. parvam sanguinis copiam mittere e loco a morbi situ longius distante; hoc divulgat anno 1538 in scripto *Epistola docens venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali secandam*.

Vesalius, postquam a iudice Mercantonio licentiam obtinuit damnatorum cadavera dissecandi, multas dissectiones facit novamque dissectionis rationem instituit, qua non solum visus, sed etiam tactus magnæ sit utilitati. Sic ducentos circiter errores invenit in Galeni corporis descriptione.

Anno 1543, post indefessum laborem quattuor annorum, Vesalius summum opus suum Basileæ apud Oporinum edit; operis frons ornatur scæna dissectionis, ubi Vesalius apparet suo more dissecans coram discipulis multisque spectatoribus; titulus est: *Andreæ Vesalii Bruxellensis scholæ medicorum Patavinæ professoris, de Humani corporis fabrica libri septem*; in superiore frontis margine Vesalius non omisit suum nobilitatis signum ponere, scutulum scilicet tribus mustelis ornatum. Opus dedicat «ad Divum Carolum Quintum Maximum Invictissimum». Mihi est lautum exemplar anastaticum huius primæ editionis.

Operis præstantia non solum a novis notionibus pendet, sed etiam a delineationibus accuratissimis intricatisque, necnon elegantibus, quarum auctores dicuntur esse Iohannes van Calcar et quidam e schola pictoris Titiani.

Nonnullis septimanis post *Fabricam* Vesalius etiam brevium apud Oporinum edit, c.t. *Epitome de humani corporis fabrica*; eius propositum est celeriore accessum ad novam anatomiam dare alumnis, tonsoribus et chirurgis; hoc brevium Vesalius habet ut *Fabricæ* complementum. Usus enim libri medici muta-



Imago Vesalii post 'Fabricæ' præfationes posita.

tus est, cum iam non dogmaticam doctrinam præbeat, sed solum iuvet institutionem visu et tactu faciendam; omnis liber augeri et corrigi potest.

Vesalius anatomiam non habet ut finem, sed ut gradum quo corporis humani agendi ratio melius intelligatur. Censet post diversas corporis partes accurate descriptas progressus fieri non posse sine novis experimentis; scripsit enim in septimo ultimoque libro: «Ceterum quum corporis permultæ sint particulæ differentibus actionibus usibusque dicatæ, multiplices quoque vivorum sectiones esse, neminem ambigere decet». ³ Vivi sectionis crudelitate non commovetur, cum e.g. de cane vivo secando scribat: «Opportune feceris, si cutem femoris, tibiæ et pedis auferas...». ⁴

Res inexpectata, *Fabrica* tot tantasque indignationes excitat, ut Vesalius ipso publicationis anno cathedram suam abrupte relinquat ac manuscripta incohatorum operum igne delect. Nonne ausus est Galenum irreverenter alloqui, ut in libro VII: «At Galene, qui in nugis crebro quibusdam et etiam subinde immerito tuis delusus simiis, Herophilum et Lycum, Andream et alios Alexandriæ dissectionis professores, qui humana aggrediebantur corpora, irridere soles...» ⁵ et alibi «Galenum ne per somnium quidem muliebrem uterum unquam inspexisse». ⁶ Non dubitat etiam de religione irreverenter loqui; sic legitur in *Fabricæ* libro V: «... præter hoc quod sanctissimæ religionis nostræ fides nonnulla sibi privatim vindicat et pleraque merito in dubium vocari prohibet». ⁷ Theologos quoque in eodem libro irridet: «... a placitis scholasticorum theologorum, quibus frequentior de genitalium et femina quam medicis disputatio est quosque cum generationis organa in scholis ostendimus frequentissimos habemus spectatores». ⁸

Vesalius Galeni errores magno cum plausu alumnorum universitatum occidentalium demonstravit, sed

magna cum ira multorum doctorum, inter quos vehementissimus est eius Parisinus professor, Iacobus Sylvius.

Relicta cathedra, Vesalius in Caroli V aulam, ubi potentes amicos habet, prudenter se confert et, sine mora, Imperatoris «medicus familiaris ordinarius» nominatur. Carolum V itinerantem imprimis sequitur, deinde nonnullos annos manet in amplissimis «ædibus Vesalianis», quas Bruxellis sibi curavit extruendas; clarus enim medicus factus, multam pecuniam facit multos optimates magnatesque totius Europæ curando.

Munus aulicum non impedit, quominus Vesalius operam dare pergat anatomix; occasio enim non raro datur læsos observandi necatosque dissecandi in bellis Caroli V. Quare novas observationes divulgat in secunda *Fabricæ* editione apud Oporinum anno 1555 facta. Hæc editio, omni ex parte lautior editione anni 1543, miraculum est artis typographicæ sexti decimi sæculi; sola imago primæ paginæ, qua monstratur Vesalius dissecans coram multis spectatoribus, in peius mutata est.

Magnos progressus fecit anatomia in Vesalii *Fabrica*, attamen supersunt graves lacunæ. Unum exemplum affero omnibus facile intellectu. Omnes hodie, etiam non medici, sciunt quid sit circulatio sanguinis; sanguinem circuitum in corpore facere nobis videtur esse res evidens. Hoc tamen nondum intellegebat Vesalius, qui Galeni cogitata sequebatur: i.e. sanguinem e cibis nasci in icore; per venas duci in pulmones, ubi cum aere miceretur; inde in cor ductum transire de ventriculo dextro in ventriculum sinistrum per sæptum perforatum; deinde arteriis duci usque ad corporis extremitates, ubi consumeretur; e corpore denique exire in formam sudoris.

Hæc Galeni opinio caduca facta est, cum ipse Vesalius demonstravit nullum foramen esse inter ventriculum dextrum et sinistrum; nihil tamen aliud proponit; nemo tunc sibi fingit sanguinem ex arteriis in venas transire.

Realdus Columbus, Vesalii amicus, anno 1543 in cathedra universitatis Patavinæ ei successit. Ille primus recte descripsit sanguinis transitum per pulmones. Eius discipulus Andreas Cæsalpinus primus adhibuit vocabulum, quod est «circulatio» sanguinis, et suspicatus est inter arterias et venas exstare «vasa capillarimenta reso-



Magnæ lautæque Vesalii ædes Bruxellenses iam non exstant.

luta», ut scribit, quæ solum postea microscopio demonstrari potuerunt et nunc «vasa capillaria» vocantur.

Anno 1546 Vesalius ad amicum Ioachimum Roelants, medicum urbis Mechliniæ necnon Margaritæ Austriacæ, epistolam mittit, quæ eodem anno Basileæ editur sub titulo *Epistola rationem modumque propinandi radicis Chynæ decocti pertractans*. Ibi Vesalius imprimis explicat modum «radicis Sinensis» parandæ, novi remedii, quo usus est ad Caroli V guttam (sive magis scientificè «arthritem uricam») curandam. Hæc radix videtur esse «Smilax china», vel, ut recentius propositum est, radix «ginseng». In posteriore epistolæ parte loquitur de aliqua epistula ad Iacobum Sylvium missa, qui in Francogallia immutatam Galeni anatomie doctrinam docere pergit; ille enim soli Galeno confidere non desinit ac Vesalii inventa negat; numquam in eius scriptis apparet nomen «Vesalius», sed eius loco «Væsanus», ut in scripto anno 1551 edito, c.t. *Væsani cuiusdam calumniarum in Hippocratis Galenique rem anatomicam depulsio*; fateri tamen debet plures pluresque medicos Vesalium comprobare.

Post abdicationem Caroli V anno 1555 factam, Vesalius Philippum II, eius filium successoremque, cuius factus est medicus, sequitur in Hispaniam, ubi propter humanas dissectiones iniucunde accipitur, præsertim ab Inquisitionis ministris; insuper aula Philippi II est tædiosa.

Anno 1559, mense Iunio, Philippus II Lutetiæ Parisiorum uxorem ducit Elisabetham, Francogalliæ regis Henrici II filiam. Hac occasione Henricus II torneamentum⁹ instituit, quod ipse participat. In certamine lancea eius adversarii per rimam galeæ ferreæ profunde penetrat in oculi orbitam. Rex non statim perit; dum cruciatus decem dies contra mortem luctatur, Philippus II Vesalium mandat, qui hac occasione Ambrosium Paré, Francogallici regis tonsorem chirurgum, convenit.

De anatomia tamen cogitare pergit. Gabriel Fallopius, eius successor in anatomie cathedra Patavina, a. 1562 librum, c.t. *Observationes anatomicæ*, edit, quo de *Fabrica* reverenter tractat. Duobus annis post Vesalius respondet parvo tractatu, *Anatomicarum Gabrielis Fallopii observationum examen* inscripto.

Eodem anno 1564 peregrinationem in Terram Sanctam facit, de cuius causis nihil certi scimus. In itinere ad Orientem ei nuntiatur Fallopium vita functum esse et Universitatem Patavinam cathedram anatomie ei iterum offerre. In Terram Sanctam donum 500 ducatorum Philippi II ducit ad ordinem Franciscanum; hoc scimus per litteras a Vesalio ad Philippum II reportatas, quibus Frater Bonifatius, Locorum Sanctorum custos et Vicarius Apostolicus, dicit se 500 ducatos a Vesalio allatos bene accepisse. Nescimus utrum post reditum Vesalium in Universitatem Patavinam rediturus fuerit necne, nam in reditu navis, qua vehitur, vehementi procella correpta, ad insulam Zacynthum propel-

litur. Complures et diversæ sunt narrationes de eius morte; secundum relationem magis acceptam, egressus esse videtur in insulæ litus desertum et ibi periisse fortasse febris typho, quæ vulgo vocatur «febris navium». Sepultus est Zacynti, loco incerto.

Andreas Vesalius, etsi multo diutius medicus aulicus fuit, quam academicus professor, tamen habetur ut maximus anatomista ætatis Renatarum Litterarum necnon Pater anatomie modernæ. ☪

1. *Noctes Atticæ*, X, 10.
2. *Commentarii cum amplissimis additionibus super anatomiam Mundini*, 1521.
3. *Fabrica*, p. 658.
4. *Fabrica*, p. 659.
5. *Fabrica*, p. 631.
6. *Fabrica*, p. 532.
7. *Fabrica*, p. 521.
8. *Ibidem*.
9. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, VIII, p. 129 sq.: torneamentum, Fr. *tournoi*, Angl. *tournament*.

LIBRI ADHIBITI

Bibliotheca numerica Medica.

Véronique Boudon-Millot & Guy Cobolet, *Lire les médecins grecs à la Renaissance. Aux origines de l'édition médicale*, Actes du colloque international de Paris 19-20 septembre 2003, Paris, De Boccard, 2004.


Hossam Elkhadem, Jean-Paul Heerbrant, Liliane Wellens-De Donder, Nicole Walch, *André Vésale: Expérimentation et enseignement de l'anatomie au XVI^e siècle*, exposition 5 nov. - 5 dec. 1993, Bruxelles, Bibliothèque royale Albert I^{er}, 1993.

Rafael Mandressi, *Regard de l'anatomiste. Dissection et invention du corps en Occident*, Paris, Seuil, 2003.

François-André Sondervorst, *Histoire de la médecine belge*, Séquoia, 1981.

Henri van Hoof, *Histoire de la traduction en Occident*, Duculot, Paris & Louvain-la-Neuve, 1991.

Kenneth Walker, *Histoire de la médecine*, Verviers, Ed. Gérard et Co, 1962.



Vesalius et Ambrosius Paré ad lectum Henrici II mortifero vulnere icti.

NICOLAI WEYNANTS ORATIO DE ANDREA VESALIO

– quam denuo edidit Theodericus Sacré –

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos
(Verg. *Æn.* 3, 270)

Sæculo XVIII et XIX eloquentia Latina in gymnasiis momenti minime levis esse perrexit. Discipuli enim classium superiorum maioribus artis oratoriæ monumentis sive antiquis sive recentioribus (velut Muretianis) assiduum navabant operam et, viam monstrante præceptore, in abditos eius artis recessus, in artificium oratorium, in Latine atque eleganter scribendi præcepta ita intrabant, ut quas oratiunculas orationesque ipsi conscribere statis intervallis iussi essent, sat expedite contextere valuerint; summam autem metam attigisse ceterosve sui lycæi discipulos in hac provincia superavisse is credebatur, cui, cum anno scholastico coronis esset imponenda et suum cuique alumno pro meritis præmium donandum, cura esset honorifice demandata sollemnis orationis componendæ atque coram præceptore, rectore, magistratu, civitatis primoribus quibusdam publice habendæ. Quem morem apud Batavos etiam mediante sæculo XIX obtinuisse, cum extent adhuc eiusmodi orationum specimina, satis compertum habemus. Nam, ut exemplum ponam, servatur adhuc de Caroli Magni imperatoris moribus oratiuncula quam anno 1851 Leovardiense relicturus gymnasium habuit Franciscus Haverschmidt (1835-1894),¹ eum dico virum qui poeta postea inclaruit, editis sub falso nomine Petri Paxilli ('Piet Paaltjens') carminibus salsis et facetis. Belgas vero, cum iugum Batavicum anno 1830 excussissent, cum in libertatem sese vindicavissent, suamque ipsi nationem constituissent, a consuetudine ea plane decessisse diu egomet opinabar, quia nullum mihi innotuerat exemplum ætate posterius. Videram equidem orationes quasdam Latine habitas cum optimæ notæ discipuli inter se congregati academiolas frequentarent litterarias, quas illis temporibus seminaria minora et gymnasia haud raro alebant; at sollemnis ac festivæ orationis in fine anni scholastici recitandæ morem e scholis nostratibus tertio ineunte sæculi XIX decennio prorsus sublatum esse sentiebam. In quo me erravisse animadverti nuperrime, cum forte percurrerem libellos quosdam academicos post annum 1840 editos; unde patebat per aliquot saltem annos in quibusdam regni Belgici collegiis morem eum tralaticium aut instauratum fuisse aut servatum. Incidi enim in vetustiora quædam annalium volumina quæ typis excudenda curaverat studiorum universitas catholica Lovaniensis; quibus continebantur id genus orationes Latinæ, a discipulis ipsis paratæ atque in publico recitatæ. Namque Athenæum magnum Lovaniense ab anno 1837 ad 1850 in ædibus collegii Alticollensis, in via

Namurcensi siti, gymnasium studiis humanioribus fovendis sustentabat,² quo melius ad studia academica obeunda præpararentur adulescentes. Mox, ipso annuente universitatis rectore, gymnasii præsides edixerunt ut in sollemnibus præmiorum distributionibus, quæ mense Augusto celebrari solebant, palmares rhetorices alumni verba Latina publice facerent eosque collaudarent viros, de quorum meritis erga patriam atque Academiam Lovaniensem inter omnes constaret. Quamdiu talibus orationibus iuvenilibus aurem admove-re potuerint homines, fateor me nescire; nam ipsæ typis academicis tamdiu edebantur quoad gymnasium iuris erat academici; hinc non mihi liquet mosne is Latine et publice orandi manserit cum collegii ius ac potestas ab universitate ad urbem esset translata. Supersunt autem, quantum scio, eiusmodi orationes sex prelis academicis traditæ,³ quarum prima anno 1842 erat recitata, anno 1849 ultima.⁴

In his artis oratoriæ a tironibus excultæ documentis mihi arrisit id præ ceteris præconium, quod Andreæ Vesalio, medico eidemque rei anatomicæ cultori eximio anno 1844 tribuerat discipulus quidam Lovaniensis. Quod præconium duabus de causis denuo edere me iuvat, tum quod præstantissimi huius medici memoria hoc anno celebratur, quingentesimo a natali die revoluto anno,⁵ tum quod ne in eo quidem indice bibliographico, quem ditissimum apparavit medicus quidam Vesalii studiosus, opellæ huius Vesalianæ mentionem iniectam esse vidi⁶ eandemque etiam in eis commentatiunculis esse omissam animadverti, quas viri docti scripserant de Vesalii memoria sæculo undevicesimo exculta.⁷ Itaque appendiculam quasi quandam eis instrumentis addendam esse censui atque curandum ut discipuli oratio aliquam sibi denuo faceret audientiam.

Rhetorices igitur alumnus Lovaniensis erat Nicolaus W(e)ynants, qui curriculo scholastico finem impositurus orationem eam habuit. Quo de adulescente pauca admodum ex abdito eruere valui: Lovanii natus erat anno 1826; ibi postquam humanitatis studia in collegio Alticollensi anno 1844 absolvit, nomen dedit studiorum universitati Lovaniensi et (id quod nemo mirabitur in Vesalii præcone) medicinæ studiis sese dedit. Anno 1847 scientiarum physicarum et naturalium 'candidatus' est renuntiatus; biennio post inter candidatos sive baccalaureos medicinæ est promotus; anno 1852, superato tertio periculo, gradu doctoris ibidem est donatus. Videtur deinde ætatem omnem in arte medendi consumpsisse et medicinæ professionem in vico Opwijk, qui ab urbe Bruxella haud procul distat,

exercuisse; præterea multos per annos scabini ibi munere esse functus. Mortem obiit anno, ni fallor, 1898.⁸

Novella autem natio Belgica, a Batavis modo seiuncta, quo solidiora fundamenta iaceret patriæ, patrios suos atque domesticos sibi statim heroas eo fine conquerere atque celebrare cœpit, ut ex eis Belgarum ingenium proprium indolesque singularis plane eluceret et ut civium animi amore in novam patriam corriperentur; eos ergo viros dilaudabat qui provincias Belgii veteris meridionales illustraverant, litteras vel vulgari sermone vel Latino auxerant, disciplinis variis ac scientiis incrementa attulerant, artes elegantiores nobilitaverant: qui viri (addo et mulieres) ea tempestate carminibus extollabantur, commentationibus illustrabantur, eorundemque nomina et memoriæ signis passim ornabantur; hinc factum est ut medio fere sæculo XIX urbium nostratum senatus statuas decernerent Rubenio pictori Antverpiæ, Lovanii Iusto Lipsio, Bruxellæ Andreæ Vesalio; quas adornabant inscriptiones Latinæ. Minime ergo mirandum est, si eadem illa tempestate studiorum universitas Lovaniensis a gymnasii sui discipulis Latine dicendi præceptis imbutis et rude iam donandis postulavit ut panegyricis Latine prolatis Academiam pariter et patriam celebrarent. Neque admirationem id movet, quod unus ex eis discipulis Vesalium sibi anno 1844 delegit quem laudibus ferret; namque iis ipsis annis nomen Vesalii omnium erat in ore: siquidem alii societatem quandam Vesalianam condiderant, alii in tanti medici honorem aut nomismata ediderant aut carmina divulgant, aut acroases fecerant commentationesve typis mandaverant.

Fuerintne Vesalii opera Latina adulescenti huic Lovaniensi orationem suam paranti præsto necne, neque affirmare neque negare ausim; nec scio an elogium Vesaliana a viris doctis Latine scripta in manus ille non sumpserit; at est cur rem in dubium vocem. Nam, nisi fallor, unicum fontem eumque Gallice scriptum usque est orator secutus. Paucis enim ante annis in publicum prodierant *Studia Vesaliana* auctore Adolfo Burggræve,⁹ anatomix doctore apud studiorum universitatem Gandavensem; qui vitam Vesalianam præmiserat, eamque tam brevem (pp. 16-54) ut a discipulo facile potuerit concoqui atque in elogium Latinum transformari. Quid multa? Nihil invenias apud oratorem Latinum, quod non scripserit Gallice Burggrævius; immo, sententiæ nonnullæ Latinæ ad Gallicum exemplum tam prope accedunt, ut eas e Gallico in Latinum sermonem conversas esse dicas;¹⁰ huc accedit quod in oratione est error quidam de

studiorum curriculo Vesaliano, quem cum Burggrævio communem habet Weynandus.¹¹

At præconis non erat novum nescio quid inauditumve de Vesalio proferre; non erat ei iniunctum ut sedulo conquereret quæcumque de Vesalii vita, scriptis, meritis essent conscripta a viris doctis, utve ea diutius perperderet;¹² licebat ei vetus vinum haurire, modo in utrem novum eumque Latinum infunderet; laudes tanti viri ita erant oratori iuveni texendæ, ut inde auditores non solum Vesalii merita cognoscerent, ad amorem eiusdem inflammarentur atque eius exemplo moti gloriæ studio ipsi incenderentur, verum etiam intelligerent prodire solere e gymnasio illo Alticollensi adulescentes in arte oratoria versatissimos et Latine dicendi peritissimos. Atqui Weynandi Latinitas non erat erubescenda, verum tolerabilis ubique, plerumque emendata, interdum elegans; itaque oratiunculam hanc, cum ceteris id genus periculis oratoriis comparatam, verborum delectu et copia dicendique genere commendabilem, facilitate quadam et munditia conspiciendam dixerim; quamquam est ubi nexum quandam syntacticum parum ille felicem inseruerit,¹³ 'hodie-num'¹⁴ (cap. 20) adverbium non antiquum admiserit et inconcinnitate semel peccaverit;¹⁵ ceterum dolui quod in nominibus propriis Latine reddendis hæsitavit orator, interdum et erravit; unde etiam suspicor eum ipsos fontes primigenios, id est Latinos, non adisse, Gallicis fuisse contentum. Nam 'Boloniam' (cap. 13) admisit ubi 'Bononia' erat scribenda, 'Thermas Inferiores' sive Badenam (cap. 20) scripsit, ubi Basilea erat memoranda; 'Galienum' more tralaticio medicum illum præclarum appellavit, cum eum ipse Vesalius 'Galenum' fere nuncupaverit; et 'Guntherum' (cap. 8) scripsit, cum fontes Latini attulerint 'Guinterium'. Id utcumque est, vitio quodam eius oratio carere mihi videtur, in quod collegæ eius interdum inciderunt: fiebat enim ut illi res minoris momenti pueriliter exaggerarent, cum hic inani verborum iactationi non indulserit.

Ceterum adulescentes omnes, qui in gymnasio illo Lovaniensi in quarto sæculi eius decennio sollemnes habuerunt orationes, præceptorum monitis obtemperantes simili fere ratione munere suo sunt functi. Totam enim herois sui vitam adumbrare solebant; ostendebant (id quod minime est mirum) quanti is litterarum studia pependisset, quam egregiæ spei iam a teneris fuisset unguiculis, quantum laboris in adulescentia alacriter subsisset; tum quam magnam et domi et peregre esset assecutus famam, quibus viris auctoritate gravibus familiariter esset usus; quam spectatæ fuisset virtutis; quas

difficultates superavisset ut patriæ et universo hominum generi prodesset; quæ ingenii sui monumenta reliquisset. Accedit huc quod discipuli in exordio mentionem eorum faciebant qui se in contione præcesserant, seque præconio impares fore asseverabant; in peroratione autem ad viri, quem laudaverant, labores et virtutes imitandas vehementer adhortabantur condiscipulos; atque in narratione, quo audientium animos magis moverent, ad repræsentationes¹⁶ sive demonstrationes vel etiam temporum translationes¹⁷ descendebant, et exclamationibus¹⁸ aliisque id genus artificii haud raro utebantur, quæ, si verum quærumus, etsi a Tullio quoque adhibita erant, hic tamen litterarium ludum parietesque scholasticos nonnumquam redolebant.

ANDRÆ VESALII PRÆCONIUM

Oratio quam in sollemni præmiorum distributione collegii lit. hum. Alticolensis,¹⁹
die 13 mensis Augusti 1844,
habuit Nicolaus Weynants, rhetorices alumnus

Magnifice huius academiæ rector gravissime, honoratissime; qui rebus civilibus et sacris præestis, viri summo honore habendi; præses professoresque doctissimi; commilitones dilectissimi ceterique, quotquot adestis, cives et hospites, auditores exoptatissimi,

1. Quemadmodum superioribus annis virorum universitatis Lovaniensis clarissimorum Adriani VI et Viglii laudes²⁰ cum benevolentia audivistis, sic spero vos hodie, cum de alio eiusdem academiæ lumine orationem habiturus sum, benignam quoque aurem mihi præbituros. Quæ academia vix a dimidio sæculo condita²¹ orbi catholico pontificem suppeditaverat omni doctrina et virtute ornatum et virum instituerat qui doctissimis scriptis de legibus gloriam sibi conciliavit perennem, ea profecto medicis fama inclutis carere non debuit. 2. Eodem vero tempore quo priores illi viri maxime florebant, quasi ex fecundæ matris gremio vir surrexit qui nisi illos magnitudine ingenii et gloria superavit, in eodem certe honoris gradu collocandus est. Ille vir Vesalius fuit. 3. Hoc nomine quis nostrum a patriæ amore tam est alienus, qui origine sua non superbiat, non eam præ se ferat? Quis vestrum, carissimi condiscipuli, non vehementer gestiat in hac institui celeberrima academia atque ex fonte illo benignissimo salutarem haurire doctrinam, qua Vesalius, qua Adrianus immortalem gloriam assequi valuerunt?

4. Hos tantos viros, auditores ornatissimi, summis ipsi vel taciti prosequimini honoribus. Ego vero, qui ut publicam Vesalio laudem referam innumeraque eius merita voce mea celebrem advocor, rei magnitudine pressus, numquam tantum opus aggredi ausus essem, nisi vestra benevolentia confiderem speraremque vos rebus potius quam verbis attentos fore.

5. Andreas Wittings natus est Bruxellis honesto genere anno millesimo quingentesimo decimo quarto, a

Vesalia inferiore,²² ubi maiores diu habitaverunt, Vesalius dictus. Pater²³ eius pharmacopola fuit Margaretæ, quæ Belgis præerat. Avus,²⁴ mathematicus peritissimus, multa de arte sanandi egregie [egregii *ed.*] scripsit. Proavus²⁵ Maximiliani imperatoris medicus, universitatis Lovaniensis et professor et rector magnificus. Denique tritavus²⁶ magna fuit suis temporibus in medicis gloria. Nec frater²⁷ nostri silentio prætermittendus, qui, parentibus hortantibus, ad iuris studium quidem se contulerat, sed, natura cogente, ad medicinam animum applicuit.

6. Erat igitur noster, ut ipse dicere solebat, genere medicus et hereditario quodam iure hanc studiorum rationem suscepit et ingressus est. Cum autem recte sapere omnis disciplinæ sit fons et principium, iis artibus, quibus ad humanitatem iuventutis informatur, totum prius se dedit, in hac nostra civitate diligenter litteris Latinis et Græcis incumbens.²⁸ Quantos in illis progressus fecerit nullum certius est testimonium quam quod, cum Latino uti sermone soleret, eius dictio pura et nativa semper ab omnibus sit iudicata et Galieni²⁹ opera ipsi recognoscenda et emendanda aliquando tradita sint.³⁰ Nec minus studii in physicis et mathematicis disciplinis consumebat et familiaris erat Gemmæ, qui omnibus suæ ætatis mathematicis antecellebat.³¹

7. Ut primum ex adulescentia excessit Vesalius utque ab iis artibus, quibus illa ætas ad satus scientiarum accipiendos præparari solet, sese ad medicinæ studium conferre statuit, in dubio erat utrum Lutetiam an Montem Pessulanum peteret. In his enim civitatibus erant tunc temporis celeberrimæ medicinæ scholæ, quarum hæc Arabum doctrinis instructa singulis annis corpus humanum dissecandum discipulis præbebat, in illa vero doctores erant illius disciplinæ clarissimi.

8. Hac dubitatione brevi sublata, primum Monte Pessulano medicinæ studuit,³² inde Lutetiæ, ubi celeriter ei contigit ut omnibus suis condiscipulis doctrina præstaret.³³ Cuius gloriæ si quid ingenio dandum, tamen laboribus continuis maxima pars tribuenda. Quanta enim, auditores ornatissimi, in nostro fuit diligentia, quam singulare discendi studium! Quoties, cum vana superstitione nullum humanum corpus daretur, sepulcretum Innocentium³⁴ noctu adivit! Hac Vesalii diligentia perspecta, magistri iam tum futuram illius gloriam prævidebant; Guntherusque³⁵ discipulum familiaritate obstrictum habere cœpit et tanti eruditionem eius fecit, ut sua ei scripta recognoscenda commendaverit.

9. Iisdem temporibus, cum Gallorum rex Franciscus I bellum Carolo V inferre decrevisset, Vesalius animadvertens apud hostes sese tutum esse non posse, Galliam reliquit ac Lovanium demigravit,³⁶ ubi copia illi data anatomix publice monstrandæ.³⁷

10. Cogitate, auditores ornatissimi, magistrorum ac discipulorum admirationem, cum anatomix elementa ex ipsius hominis corpore explicaret;³⁸ etiam atque etiam

eorum cogitate stuporem, cum (quod numquam antea viderant) osseam integram formam illis ostendit.

Factum autem erat ut Lovanii, familiari suo Gemma iuvante, ossa omni carne spoliata sibi paravisset.³⁹

11. Sed nostræ academiæ datum non est ut talis iuvenis diutius in hoc oppido commoraretur. In Galliam enim imperatoris exercitus ut chirurgus secutus est;⁴⁰ inde in Italiam transivit, regionem celeberrimam, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluentem, ibique incredibili scientiæ amore incensus, magistratus adivit et ab illis precando et obtestando impetravit ut supplicio affectorum omnium disseccari liceret corpora, cum antea vix singulis annis unum concederetur.

12. Longum est enumerare, auditores ornatissimi, qui fuerint eius labores, quæ curæ; tamen iure increpandus essem, si prætermitterem indefessum nostrum iuvenem quod antea Lutetiæ fecerat, etiam hic vel vitæ suæ periculo in sepulcretis factitasse.⁴¹ Interea fama eius ita crevit, ut summis honoribus dignus iudicaretur atque hac celebritate vel absentibus notus, a senatu Veneto extraneus et iuvenis admodum deligeretur qui anatomiam in Academia Patavina doceret.

13. Quantum censetis gaudium, quantam lætitiæ nostrum ex ea re percepisse?⁴² Qui, quod iam dudum in animo habebat, nunc tandem voti compos efficere poterit ut Galieni auctoritatem per quattuordecim sæcula vigentem gravissimis ipsius veritatis argumentis impugnet atque evertat. 14. Et hoc eo magis mirandum, quod Vesalius vix octo et viginti natus annos difficillimum opus temptaverit et novum mundum, ut ait Seneca [Senacus *ed.*],⁴³ aperuerit. In Italia septem annos commoratus est, anatomiam tum Patavii, tum Bononiæ, tum Pisis⁴⁴ docens atque horas subsicivas in scribendo de anatomia opere consumens.⁴⁵

15. Tum vero imperatoris verbis adductus Italiam reliquit et ad copias in Gueldria bellum gerentes missus est.⁴⁶ In ea regione Venetorum legatum gravi morbo affectum sanavit.⁴⁷ Deinde ex ea provincia decessit Ratisbonamque venit. Cæsar ægrotabat in hac urbe chiragræ doloribus confectus, suosque omnis fere spes deseruerat, cum Vesalius squinæ radice et sanitati et suis eum reddidit.⁴⁸

16. Interim, cum summo honore afficeretur multique nobilissimi viri eius cognitionem atque familiaritatem appeterent, magnum opus de anatomia tot et tantarum animi ægritudinum causam futuram perfecerat.⁴⁹ Inter doctissimos viros quorum consilio usus est, multi eum hortati sunt ut ne rem exequeretur quam mente agitabat, alii vero ei persuaserunt ut opus, in quo scribendo tot dies, tot noctes consumpserat, in lucem proferret.⁵⁰ Horum cum sententiam sequi vellet non dubitans hac re in sese multorum odium atque invidiam concitaturum, epitomen⁵¹ edidit quæ elementa istius suæ disciplinæ exponeret; qui liber neque damnatus est neque ullius in auctorem odium movit.

17. Nunc tamen, quæ ei hucusque arridere visa est,

fortunam experietur adversam. Nam cum magnum opus in publicum protulisset, quo a Galieni ratione longissime se abhorrere confirmasset, undique et malis libellis et iniuriis lacessitus est. Auditisne, ornatissimi auditores, hos indignantium clamores et ignorantiae dementiæque crimina et iniurias Sylvii, quem quondam Vesalius medicinæ doctorem habuit?⁵² Huius tamen iniurias omnes silentio prætermisit; tanta enim in eo erat erga magistros pietas, ut illos, quamvis eruditione longissime superaret, maxima coleret veneratione. 18. At ubi Eustachius,⁵³ qui Romæ anatomiam docens magnam erat famam consecutus, nostrum non verbis, sed argumentis ex scientia depromptis adoriretur, tum in Italiam sibi transeundum existimavit atque ibi Eustachium omnesque Galieni propugnatores ita prostravit, ut ab eo tempore in omnibus Italiæ academiis ad quas accesserit tantus et discipulorum et magistrorum fieret concursus, quantum nemo umquam antea viderat.⁵⁴

19. In hac regione cum maxime floreret cumque ab omnibus qui aliquid de ingeniis poterant iudicare colebatur, apud Carolum v falsis inimicorum criminibus impietatis accusatus est. Quod Carolus tum fecit quam vellem omittere! Sed dicendum est. Quem semper dilexerat, quem summis extulerat honoribus, illi nunc diem indicit! O imprudentia luctuosa regum! Salamancæ⁵⁵ tamen theologiæ facultas, ad quam Carolus rem detulerat, causa cognita criminis eum absolvit. Hoc iudicio quamvis eius fama ubicumque esset restituta, tamen imperatoris offensione permotus omnes suos libros, scripta omnia in flammam abiecit. Eheu perit multorum annorum irritus labor!

20. Post reditum nihil in maiorem gloriam consequendam conatus est Bruxellisque privatus vixit. Postea vero in Germaniam profectus, Thermis inferioribus sic ab omnibus colebatur, ut gratum se præbiturus illi civitati osseam formam donaret, quæ ibi hodiernum summa religione asservatur.⁵⁶

21. Cum Philippus patris regnum adeptus esset, hunc in Hispaniam secutus est ibique honoratus sed tristitia languens vitam misere traxit. Quid dicam hoc loco de crimine omnium gravissimo, de corpore viventis a Vesalio aperto? Quid eum capite damnatum, vix per regem Philippum impetrasse ut mutata pœna Hierosolymam proficisceretur scelus expiaturus? Ficta hæc omnia et commenticia hodie constat. Itaque ne verbum quidem ullum de hac re addendum necesse existimo.

22. Attamen, cum tristitia absumeretur quod ne osseum quidem caput parare sibi posset, Hierosolymam profectus est votum interserens religiosum eo consilio, ut Hispaniam relinquere ac rursus in Italiam demigrare posset famam suam Fallopiæ⁵⁷ scriptis imminutam restitutus. Contendit igitur Hierosolymam; quo cum advenisset, litteras a senatu Veneto accepit, qui ei amplissimis verbis anatomiae cathedram obtulit.

23. Quibus ex litteris Vesalius quam maximum gau-

dium percepit. In Italiam ire properans, cum medium iter perfecisset, vehemens incidit procella; navis fluctibus iactata undis submergitur; Vesalius in insulam Zacynthum eiectus ibique fame oppressus omnibusque auxiliis orbatus diem obiit supremum anno ætatis suæ quinquagesimo. Post aurifex quidam corpus invenit eiusque ossa in sacello quodam sanctæ Virginis sepe-lienda curavit.⁵⁸

24. Hic finis fuit viri clarissimi, qui multo labore et præcipuo suo periculo scientiam repperit hominibus longe utilissimam, veritatis adversus mendacium miles strenuissimus, de nostra academia, de patria, de genere humano optime meritus. Cuius si corpus ventis, fluctibus et inedia frangi potuit, at memoria vivet incorrupta omnibusque immortalitatis insignibus ornata.

25. Nunc tandem ad vos me converto, carissimi commilitones, vos qui mecum rude [inde *ed.*] donati arenam hanc relinquitis, vos etiam qui nondum litterarum stadium decurristis: habeat hic dies sollemne aliquid et sanctum! Quocumque adoranda Dei voluntas unumquemque nostrum vocaverit, maneat semper pura sinceraque animorum coniunctio, maneat amicitia, nulla temporis vicissitudine minuenda, sitque vita nostra Deo, patriæ, parentibus, amicis devota! 26. Quid autem ad communem utilitatem Belgii, huius civitatis academiæque Lovaniensis optatius, quid ad vestram isporum famam desideratius excogitari possit, quam ut celeberrimorum virorum in litteris scientiisque colendis exempla imitemini? O utinam hoc meum votum impleatur! Utinam hæc academia virtutibus vestris ornata et egregie scriptis nobilitata pristinam famam recipiat et conservet! Dixi. ☺

1. Quam orationem e codice manu scripto mox sum editurus.

2. Cfr. 'Notice sur le collège de la Haute-Colline', *Annuaire de l'Université Catholique de Louvain*, (1851), 215-236. Anno autem 1850 gymnasium in studiorum universitatis potestate esse desiit factumque est gymnasium urbis Lovaniensis; anno 1881 in Athenæum regium conversum est; quæ fata subierit postea, nihil hic attinet dicere.

3. Alphonsus De Becker, 'Adriani VI Pontificis Maximi præconium' [1842], *Annuaire de l'Université Catholique de Louvain*, (1843), pp. 177-189; Iosephus Vanlinthout, 'Viglii Zwichemii præconium' [1843], *Annuaire*, (1844), pp. 158-165; Nicolaus W(e)ynants, 'Andreæ Vesalii præconium' [1844], *Annuaire*, (1845), pp. 233-241; Iosephus Rosseels, 'Hieronymi Buslidii præconium' [1845], *Annuaire*, (1846), pp. 246-253; Eugenius Dauw, 'Joannis Ludovici Vives præconium' [1846], *Annuaire*, (1847), pp. 224-234; Æmilius Vanderlinden, 'Valerii Andreæ præconium' [1849], *Annuaire*, (1850), pp. 229-237.

4. Inveniuntur inter Academiæ Lovaniensis annales, quos dixi, orationes aliquot Latinæ post annum 1850 habitæ; eas vero protulerant professores academici, maxime theologiæ doctores, cum iuvenes ad gradum doctoris promoverentur.

5. Qua data occasione novi libri et commentationes variæ de Vesalio rei anatomice auctore in lucem publicam sunt emissæ, veluti P. Broos, *Meesters met het ontledmes. De invloed van Vesalius op de anatomie en de beelkunde* (Lovanii, 2014); G. Vanpaemel (ed.), *Vesalius. Het lichaam in beeld* (Lovanii,

2014); J. Van Robays, *Andreas. De fictieve autobiografie van Vesalius, de grootste anatoom aller tijden* (Lovanii, 2014); J. Tulkens, *Vesalius. Een beroemd anatoom gevangen in de intriges van het Spaanse hof. Historische roman* (Lovanii, 2013); G. Licoppe, 'De Andrea Vesalio ante quingentos annos nato' (I), *Melissa*, 182 (2014), 5-7.

6. Cfr. in rete universali 'andreasvesalius.be' (auctore Mauritio Biesbrouck). At fateor memoratam esse hanc orationem a H. Cushing, *A Bio-bibliography of Andreas Vesalius* (Hamdeni - Londini, 1962?), p. 215.

7. Cfr. O. Steeno, 'De historiek van het Vesalius-standbeeld op het Barricadenplein in Brussel', in L. Misotten (ed.), *Omtrent Vesalius* (Antverpiæ - Apoldri, 2007), pp. 59-68; J. Vandendriessche, 'De herdenking van Vesalius in de negentiende eeuw', in G. Vanpaemel (ed.), *Vesalius. Het lichaam in beeld* (Lovanii, 2014), pp. 53-58.

8. Cfr. 'Nécrologie', *La Belgique médicale. Revue scientifique et pratique*, 5, 1 (1898), p. 351.

9. A. Burggraave, *Études sur André Vésale, précédées d'une notice historique sur sa vie et ses écrits* (Gandavi, 1841).

10. Cfr. exempla infra allata (adnot. 30-31, 33, 37-38, 41-42, 45-46, 50, 53-54).

11. Cfr. adnotatio 32.

12. Consensus est virorum doctorum qui nunc sunt, neminem per hos quinquaginta annos vitam Vesalianam melius atque accuratius conscripsisse quam C.D. O'Malley, *Andreas Vesalius of Brussels 1514-1564* (Berkeleia - Angelopoli, 1964).

13. Cfr. 'nullum certius est testimonium, quam quod (...) eius dictio pura et nativa (...) sit iudicata' (cap. 6); 'Et hoc est magis mirandum, quod Vesalius (...) difficillimum opus temptaverit et novum mundum (...) aperuerit' (cap. 14).

14. Quod (haud secus atque 'hodiedum') idem valet atque 'hodie quoque'; adverbium illud a scriptoribus recentioribus sæpe usurpabatur.

15. Cfr. 'Cogitate, auditores (...), (...) admirationem, cum (...) explicaret; (...) cogitate stuporem, cum (...) ostendit' (cap. 10).

16. Cfr., ut exempla pauca ponam, 'Quantum censetis gaudium, quantum lætitiæ nostrum ex ea re percipisse?' (cap. 13); '[Vesalius] undique et malis libellis et iniuriis lacessitus est. Auditisne, ornatissimi auditores, hos indignantium clamores et ignorantia dementiæque crimina et iniurias Sylvii (...)?' (cap. 17)

17. Cfr. capita 13 ('nunc tandem (...) efficere poterit') et 17 ('nunc (...) experietur').

18. 'Quod Carolus tum fecit quam vellem omittere!' (cap. 19); 'O imprudentia luctuosa regum!' (*ibid.*), et ita porro.

19. Id est, Alticollensis.

20. Cfr. adnotatio 3.

21. Studiorum universitas Lovaniensis anno 1425 erat condita.

22. Vesalia sive Vesalia Inferior Latine dicitur urbs quæ 'Wesel' Theodisce appellatur; Vesalia autem Superior 'Oberwesel' Germanice vocatur.

23. Prænomine Andreas.

24. Everardus nomine.

25. Iohannes, qui obiit anno 1476.

26. Petrus.

27. Franciscus.

28. Lovanium venit 'Andreas van Wesel de Bruxella' anno 1529; nomen dedit Academiæ mense Februario anni 1530; erat alumnus Collegii Castrensis, at Collegium quoque Trilingue frequentasse videtur, ubi, ni omnia fallunt, Latine perdidit Conrado Goclenio doctore, Græce addidit duce Rutgero Rescio.

29. Quem nos (cum Vesalio ipso) Galenum dicimus, eum scriptores ævorum mediæ et recentioris Galienum haud raro dicebant; quæ forma Gallicæ simillima oratori huic Lovaniensi arrisit. Cfr. dicta quæ in proverbialia abierunt, velut 'Dat Galienus opes, dat Iustinianus honores; / solus Aristoteles cogitur ire pedes'.

30. Cfr. Burggraave, *Études sur Vésale*, p. 17: '(...) ses humanités. On ne sau-

rait douter des progrès qu'il y fit, puisqu'à l'âge de 16 ou 17 ans, outre le latin qu'il écrivait habituellement avec une grande pureté et le grec qu'il possédait assez bien pour que plus tard il fût chargé par l'imprimeur vénitien Junta de corriger les épreuves du texte de Galien (...). Inter opera omnia Galeni quæ extant in Latinum sermonem conversa (Venetiis, 1556) inveniuntur nonnulla a Vesalio castigata.

31. Erat is Gemma Frisius sive Phrysius (1508-1555) mathematicus, qui *Aritbmeticae practicae methodum facilem* (1540) aliaque opera emisit. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, pp. 17-18: 'Il ne s'appliqua pas avec moins d'ardeur aux études physiques et mathématiques: aussi (...) se lia-t-il d'une étroite amitié avec son condisciple Gemma, de Groeningue, qui devint plus tard le mathématicien le plus distingué de son époque'.

32. Errat hic orator, nam Vesalius anno 1533 Lovanio recta Parisios est profectus ut medicinae studiis incumberet, atque ibi remansit per triennium. Cfr. M. Roth, *Andreas Vesalius Bruxellensis* (Berolini, 1892 = Amstelodami, 1965), p. 369. Erravit autem Weynandus cum Burggrævio, *Études sur Vésale*, p. 20 ('Il se rendit d'abord à Montpellier, et de là à Paris').

33. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, pp. 19-20: 'Parmi les écoles où les sciences médicales étaient alors enseignées, se portaient au premier rang celles de Montpellier et de Paris. La première était principalement célèbre comme dépositaire des doctrines des Arabes. (...) Déjà (...) les docteurs de Montpellier avaient demandé et obtenu (...) la permission de prendre chaque année le cadavre d'un criminel supplicié. (...) L'école de Paris était d'une création plus récente. (...) François I^{er} venait de la fonder (1530) et y avait appelé pour y enseigner la médecine un professeur célèbre d'Italie (...). Gonthier d'Andernach (...). Enfin Jacques Dubois (Sylvius) y occupa la chaire d'anatomie (...). (...) Vésale quitta l'université de Louvain (...). Il se rendit d'abord à Montpellier et de là à Paris (...)'.

34. Quod usque ad annum 1786 media in urbe Parisiensis extabat in ea platea quæ 'Place Joachim Du Bellay' nunc vocatur, fonte innocentium insignita.

35. Dicit Iohannem Guinterium Andernacum (1505-1574), doctorem Parisiensem.

36. Anno 1536.

37. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 22: '(...) Vésale retourna à Louvain où il obtint la permission de faire publiquement des démonstrations anatomiques'.

38. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 22: 'C'était alors un spectacle nouveau pour l'université, car l'enseignement de l'anatomie y était purement nominal'.

39. Nihil hac historia vulgatus; quam ipse Vesalius in *Fabrica* (1543) alicubi narravit.

40. Errat hic orator cum Burggrævio, *Études sur Vésale*, p. 23; nam Vesalius anno 1537 e Lovaniensi Athenæo in Patavinum migravit. Ibi mense Decembri (eiusdem anni 1537) diplomate donatus est; postridie promotionis in album doctorum publicorum relatus est.

41. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 24: 'Il ne s'accorda aucun repos, ne recula devant aucun sacrifice pour arriver à ses fins. Plus zélé que les professeurs eux-mêmes, il allait obséder les magistrats afin qu'ils abandonnassent aux amphithéâtres les corps des suppliciés. Comme à Paris et à Louvain, les cimetières devinrent le théâtre de ses excursions nocturnes (...) au péril de sa vie'.

42. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 25: 'Comprend-on la joie et l'enivrement d'un jeune homme qui (...)'

43. Non sine hæsitatione ita emendavi; siquidem oratorem versibus allussisse putavi Senecæ notissimis, qui in *Medea* leguntur (vv. 375 sqq.: Venient annis sæcula seris / quibus Oceanus vincula rerum / laxet et ingens pateat tellus / Tethysque novos detegat orbes / nec sit terris ultima Thule).

44. Est id parum credible; nam Pisas non videtur sese contulisse ante annum 1544.

45. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, pp. 26-27: 'Vésale passa sept ans en Italie. Dans cette intervalle, indépendamment des cours qu'il fit à Padoue, il professa également à Bologne et à Pise (...). (...) Le temps qui n'était point absorbé par l'enseignement, il l'employait à la composition de son ouvrage'.

46. Anno 1543, postquam *Fabrica* est divulgata. Quod cum opus divulgasset, contigit ei ut medicus crearetur Cæsareus. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 27: '(...) il fut envoyé en qualité de chirurgien à l'armée qui opérait dans la Gueldre (1543). À cette époque il fit un assez long séjour à Nimègue, pour y soigner le légat de Venise qui y était tombé dangeureusement malade. Après avoir été assez heureux pour le rendre à la santé, il se rendit à Ratisbonne auprès de l'empereur très-souffrant alors de la goutte. C'est là qu'il publia sa dissertation sur les vertus et les usages de la squine (...)'.

47. Qui Venetorum orator erat Bernardus Naugerius sive Navagerus.

48. Cfr. *Andreas Vesalii Bruxellensis medici Cæsarei epistola, rationem modumque propinandi radices Chynæ decocti, quo nuper invictissimus Carolus v. imperator usus es, pertractans; et præter alia quædam, epistolæ cuiusdam ad Jacobum Sylvium sententiam recensens* (...) (Basileæ, 1546). Pro radice Chynæ vel Chynæ Latine etiam legitur radix squinæ.

49. Agitur de *Fabrica* (Basileæ, 1543), opere eius notissimo. Gymnasium Patavinum, ubi docuit, reliquit Vesalius æstate anni 1542 seque Basileam contulit ut *Fabricæ* typis excudendæ consuleret plagulasque corrigeret. Ibi nomen Latinum leviter immutavit: qui antea 'Vesalius' fuerat, tum 'Vesalius' est factus. Basileæ mansit usque ad ineuntem mensem Augustum anni 1543, inde aulam Cæsaream petiturus.

50. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 28: ' (...) avant de livrer son livre à l'impression, il l'avait soumis à l'avis de plusieurs savants distingués, mais presque tous (...) l'avait engagé à y renoncer. Cependant il s'en trouva d'assez éclairés et d'assez courageux pour l'encourager dans son noble projet'.

51. *Andreas Vesalii Bruxellensis, scholæ medicorum Patavinæ professoris, suorum de humani corporis fabrica librorum Epitome* (Basileæ, 1543).

52. Iacobi Sylvii (1478-1555), professoris Parisiensis.

53. Bartholomæus Eustachius (ca. 1520-1574), medicus celeberrimus, cui 'tubam auditivam' sive 'tubam Eustachii' debemus. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, p. 33: 'Cependant Vésale avait trouvé en Italie un adversaire plus dangeureux: Eustachi, professeur d'anatomie à l'université de Rome, (...) avait cherché à combattre son antagoniste, non comme Dubois, avec les armes de la colère ou du ridicule, mais par des raisons puisées dans la science. (...) Vésale se rendit donc de nouveau en Italie (...)'

54. Cfr. Burggræve, *Études sur Vésale*, pp. 33-34: 'Il se rendit de même à Pise et à Bologne (...). Partout il excita l'enthousiasme le plus sincère, et son apparition dans ces différentes villes universitaires fut l'occasion d'un véritable triomphe. Les élèves se précipitaient sur ses pas, avides de l'entendre (...)'

55. Præstabat 'Salmantica' vel 'Helmantica'.

56. Eam multis ante annis (anno 1543) Basileensi civitati dono dedit.

57. Id est, medici cui nomen Latinum erat fere Gabriel Fallopius, raro Fallopia. Medicus ille mense Octobri anni 1562 vitam hanc terrenam reliquerat; sunt qui coniciant Vesalium, cum eum pertæsum esset regiæ Hispanicæ, eo consilio veniam ex aula excedendi petisse et peregrinationem religionis ergo (cum legatione quadam coniunctam) suscipere voluisse, quo facillioris sibi esset operæ Hierosolymis Patavium redire cathedramque ibi e Fallopii obitu vacantem occupare.

58. De Vesalii morte nuntii extant varii ac diversi, immo inter se pugnantes. Orator autem relationem Petri Bizzarri, anno 1568 primum editam, haud secus ac Burggrævius secutus est, quæ, si unum illud 'fame oppressus' excipias (morbo eum quodam repentino correptum esse veri est similis), viris doctis, qui nunc sunt, ad verum proxime accedere videtur.

MEMORIÆ DIES

– scripsit Marcus Cristini –

Ante sæculum Bellum Mundanum Primum initium habuit. Cædes Francisci Ferdinandi Sophiæque uxoris eius die 28 Iunii 1914 enim favilla fuit, qua universum incendium flagravat. Per annos quattuor homines, *totis concussi viribus orbis in commune nefas*, acerrime in cælis, in terris, in maribus et subter maria pugnaverunt: obvia aeroplanis aeroplana, pares pyroballistæ et submergibiles minantes submergibilibus. Bello sæviante plura mille milia hominum ceciderunt in rubris arvis Flandricis, in aquis Plavis fluminis, in Russicis planitiis et in Mesopotamiæ solitudinibus. Postremo mense Novembris 1918 Germania se in Fœderatorum fidem dedit. Tunc milites undique domus suas iterum petiverunt, at permulti defuerunt, corpora eorum in æterno mansura erant sub terra gravi cruentæ Europæ.

Omnes gentes memoriam militum coluerunt, at præcipue Angli, qui diu pro communi libertate dimicaverant. Eo tempore multi quæsierunt, quo modo occisi milites commemorandi essent. Sepulcra prope loca pugnarum extracta sunt, monumenta in patria ædificata, lapides insculpti. Ruyardus Kipling, cuius filius Iohannes die 27 Septembris 1915 in Francogallia interfectus est, auspiciis Imperialis Sepulcrorum Bellicæ Societatis verba ad milites Anglos honorandos elegit: *Nomen eorum vivet in generationes et generationes* (Anglice *Their name liveth for evermore*, Ec. 44, 14).

Omnia hæc tamen non sufficiebant, sic creatus est *Memoriæ Dies* (qui etiam *Papaverum Dies* appellatur). Rex Georgius V die 7 Novembris 1919 statuit, ut cuncto in Britannico Imperio die 11 Novembris milites pro patria mortui commemorarentur. Nam hora undecima die undecimo mense undecimo anno 1918 Bellum Mundanum finiverat. Ritus primum in platea ante Buckinghamianum Palatium factus est, ubi omnes per minuta duo siluerunt.

Insequentibus annis cives Angli et usum induendi rubri papaveris acceperunt. Mos hic originem habet a Canadensis militaris medici Iohannis McCrae (1872-1918) carmine, quod *In Flandricis arvis* inscribitur. Celeberrimi duo versus illius primi sunt: *In Flandricis arvis papavera florent / inter cruces, serie post seriem*.¹ Nam in regione Flandriæ plures milites Angli, Franci necnon Belgæ, bello occisi, sepulti sunt. Pyrobolis dirumpentibus, inter fumum, flammam et ruinas, arbores, herbæ necnon flores, ut homines, extinguuntur. Sic milites magno cum stupore mense Maio 1915 innumerabiles papaverorum series in populata vexataque terra crescentes spectaverunt.

Anno 1918 Americanus professor Moina Michael (1869-1944) ad carmen Iohannis McCrae respondit car-

mine cum titulo *Fidem servabimus* (Anglice *We Shall Keep the Faith*), promittens se semper papaver rubrum ad memoriam militum occisorum honorandam indutum esse. Ille his verbis iusiurandum suum exprimit: *Et nunc facem et papaver rubrum / nos induimus in honorem mortuorum nostrorum*.² Anno 1921 papavera vendebantur in Angliæ civitatum viis a sociis Britannicæ Legionis, ut pecuniam pro sauciis militibus colligerent.

Memoriæ Dies ritus maximi momenti fuit et multa de eo scripta et dicta sunt, etiam Latine. Nam Iacobus Iohannes Hartman (1851-1924), professor ordinarius Latinarum Litterarum in Universitate Lugduno-Batava, carmen cum titulo *Silentium*³ scripsit, quod narratio fidelis primi *Diei Memoriæ* est. Hora undecima die undecimo mense Novembris 1919, ut scripsit Hartman, omnes in Angliis urbibus, pagis, campis constiterunt, silentium altum factum est. Commentarii periodici, qui *Mancunii Custos* (Anglice *Manchester Guardian*) inscribuntur, *Memoriæ Diem* modo carmini Hartmaniano simillimo describunt:

«Sonus primus horæ undecimæ magicum eventum effecit: currus ferriviæ stratiariæ constiterunt, machinamenta anhelare et fumare desierunt, conticuerunt ut mortua, fortes caballi gravi pondere oppressi se inflecterunt et, quasi sponte id facientes, sustinuerunt. Aliquis cappam suam deposuit et cum quadam anxia cunctatione reliqua pars hominum capita quoque flexit. Hic et illic vetus miles cerni potebat dum, vix conscius, gestum attentionis perficiebat. Senex mulier haud procul lacrimas ab oculis tersit, vir iuxta eam pallidus rigidusque videbatur. Quisque immobilis erat. [...] Quies profundior evenit. Ea totam urbem impleverat et tanta erat, ut sonus quidem fieret. Silentium velut dolor fuit. [...] Et memoriæ spiritus super omnia pandit.»⁴

Nunc legendum est carmen Jacobi Iohannis Hartman, quod Anglici populi cogitationes, sensus et dolorem ob multa milia iuvenum mortuorum, qui nunquam viridem et pulchram terram Britannicam visuri fuissent, melius quam proluxa verborum caterva explicat.

I.I. HARTMAN, SILENTIUM

Anglia, magna quidem semper, sed tempore nullo
 Clarior ingenio vel veneranda magis
 Quam cum sponte tua te obstrinxisti lege silenti,
 Qua lata tota Urbs paruit et populus:
 Pars fuit hæc horæ tricesimæ;⁵ sæcula tota
 Laudibus hanc meritis vix superare queant.

5

Barbariem terrarum orbi iam sæpe minatam
 Servitium, præ quo libera Persis erat,
 Te duce te socia te milite vicerat ille,
 In patriamque redux nobilis ilia phalanx
 Venerat amissis quot milibus, haud tamen ulla
 Parte sui fracta aut debilitata nimis.
 Non animus deiectus erat, non corpora fessa,
 Lumina luce vigent⁶ vox quoque læta sonat.
 Triste nihil cernis post tot discrimina rerum
 Omnia testantur pectora plena fide.
 Dedecorat tamen hos non ulla superbia vultus,
 In victos nemo est qui maledicta iacit.
 Libera quod patriast hoc omnes permovet unum,
 Nil aliud dicunt carmina nil tabulæ.
 Quisque Deo gratum se testificatur et illis,
 Pro patria fortes qui cecidere sua.
 His at quo pacto possunt nunc solvere grates
 Tot meritis dignas? vilis an omnis honos,
 Quem præstare solent homines communiter omnes,
 Cum decorare volunt pectora cara sibi?
 Nunc omnis sermo et cantus sordere videtur
 Clarisonus, florum multicolorque decus.
 Sic est: augusti magis hæc, o tempora poscunt
 Excelsique aliquid talia facta petunt.
 Integer est annus postquam fera bella quiescunt⁷
 Et subito inventumst quid velit ille dies:
 Regis⁸ id inventum, o præclaro rege beatum
 Dicamus populum; forte sed ille magis
 Rex populo felix, cui non paretur ab illo
 Sed qui cum populo paret et ipse sibi;
 At nunc præcipue: divino namque videntur
 Edixit quæ Rex edita de solio.⁹
 Hora sonat!¹⁰ Confestim omnes sentire videntur
 Omniaque ille sonus quid sibi significet:
 Ante quater ternos hoc ipso tempore menses
 Pestis dira minas ponere iussa fuit,
 Pestis quam Satanas nostris in miserat arvis,
 E qua mitis homo belua factus erat;
 Extemplo nunc cuncta silent omnisque repressa est
 Vox hominem prodens, machina nulla sonat;
 Stant qui currebant, non usquam plaustra moventur
 Ponit onus properans baiulus ante pedes;
 Subsistunt rapidi currus stant æquore naves,
 Fistula nec filum tinnula verba facit;
 Non vox missa procul captantes personat aures
 Aut non captantes signa aliena docet.
 Non clamant pueri, non cantat læta puella
 Non vetulus queritur, non anus ulla gemit.
 Muta quies regnat, sed nulla disertior unquam
 Vox fuit et potuit nulla movere magis
 Humanas mentes; sævi non murmure cæli
 Pectora sic hominum contremefacta tacent.
 Nullus at hic timor est, tacitæ modo pectora grata
 Testantes lacrimæ sponte subinde cadunt.
 Tota silet regio sic fiunt templa serena
 Omnibus in plateis, omnibus inque foris:

Sic quacunque homines adstant pia sacra feruntur
 Proque animis fiunt fervida vota piis.
 At locus est cunctis aliis augustior unus
 Imbutusque sacra religione magis:
 In platea celebri cippus¹¹ sese erigit, ecce,
 Ornatu nullo sed speciosa satis
 Ipsa sua forma mentem testante colentum
 Heroum manes sic animasque pias,
 Corpora quæ sua liquerunt dispersa per orbem,
 Edita sunt si qua proelia pro patria;
 Corporibus tumulus caret hic sed vivit in ilio
 Ipse animus: cives sic voluere sui.
 Innumerus numerus stat contemplatur et illum
 Sed modico spatium: sic iubet ipse pudor.
 Ecce sed e tanto numero prodire silentium
 Hiscere quin etiam sustinet una tamen:
 Parvula, sexennis, pauper, quæ cum videt unum
 Imperio cunctos quem superare putat,
 Sesquipedalem hominem crucibus vittisque decorum,
 Cui faciem hic illic plurima plaga notat,
 Cui barba est hirsuta cutis cui sole perusta, et
 Vultus qui risum et suaviter verba fugat.
 Nil metuens tamen huic accedit blanda puella
 Et «propius me duc ad monumenta patris»
 Fatur – et ingreditur miles barbatus at illi
 Rugosam dextram parva puella tenet.
 Anglia magna quidem semper sed tempore nullo
 Maior quam cum te talis imago decet:
 Conspiceris nam fortis ibi, simul at pia blanda,
 Quæque movere hominum corda tenella queas.
 Die XI m. Nov. a. MCMXIX. ☪

1. Anglice *In Flanders fields the poppies blow / Between the crosses, row on row* (J. McCrae, *In Flanders Fields*, vv. 1-2).

2. Anglice *And now the Torch and Poppy Red / We wear in honor of our dead.* (M. Michael, *We Shall Keep the Faith*, vv. 14-15).

3. I.I. Hartmann, *Silentium*, in *Mnemosyne* 48 (1920), pp. 109-112. Gratias maximas ago professori Theoderico Sacré, qui carmen hoc mihi indicavit.

4. Versio Latina partis commentarii, qui in *Mancunii Custode* die 12 mensis Novembris 1920, p. 10, cum titulo 'Mancunii silentium' (Anglice 'The silence in Manchester') publicatus est.

5. Id est, per minuta duo.

6. Cfr. fortasse verba secretarii Anglici rerum exterarum Eduardi Grey, qui die tertio Augusti 1914, Britannia in bellum ineunte, amico dixit: «Lumina tota in Europa extinguuntur, nos vivi ea iterum accensa non videbimus». Cfr. http://en.wikipedia.org/wiki/The_lamps_are_going_out.

7. Arma, ut supra memoravi, hora undecima die undecimo mense undecimo (id est Novembri) 1918 conticuerunt.

8. Rex Georgius V est. Natus anno 1865, Britannico Imperio inter 1910 et 1936 præfuit.

9. Hic I.I. Hartman præcipue cogitat de edicto, quod die 7 mense Novembris 1919 *Memoriae Diem* instituit.

10. Hora undecima.

11. Probabiliter monumentum illud, quod hodie Cenotaphium (Anglice *The Cenotaph*) nuncupatur, Londinii in *Alba Aula* (Anglice *Whitehall*) situm.

DE SCHOLA ÆSTIVA IN BVLGARIA HABITA

– scripserunt Mariola Dapsens, Demetrius Dragnev, Abel Schutte –

Mense Septembri ineunte, inde a die 1^o ad VII^{um} Musque, habita est prima «Schola æstiva linguarum classicarum», Pineti (vulgo *Borovets*), qui vicus iuxta *Samokou*, oppidum quinquaginta chiliometris a Serdica (sive Sophia), maxima Bulgariæ urbe, in altissimo monte Rila situs est. Huic cursui novem discipuli Bulgari, quum Lycei c. n. NGDEK (quod pro «Gymnasio totius nationis de antiquis linguis et cultibus» stat) a Sancto Constantino Cyrillo Philosopho dicati, tum ipsius Universitatis Serdicensis a Sancto Clemente Ochridensi dicatæ interfuerunt. Docuimus tres magistri: Demetrius Dragnev Bulgarus, olim eiusdem Lycei discipulus et Universitatis alumnus, nunc autem Roma ex Vivarii Novi Academia in patriam reversus, scholarum æstivarum auctor, Abel Schutte Batavus, inter Athenæi Illustris Amstelodamensis conditores et Mariola Dapsens Belga. Nobiscum unum diem profestrix Nevena Panova versata est, et pulcherrimam habuit orationem *De libris lectoribusque antiquis*.

Quum omnes tam magistri quam discipuli una versaremur ac cotidianæ societatis vinculo iucunde coniungeremur, ipsis scholis Latine plerumque habitis, ludos ludendi, carmina Latina canendi inter pocula colloquendi nobis data est copia, qua quidem discipuli perpetua discendi ratione linguæ assuescere valuerunt – cuius prima verba primis diebus audita vix distinguere poterant – gradatimque Latine intelligere, loqui, scribere. Nam exeunte hebdomade cuique discipulo quodlibet Latine conscriptum – sit fabula vel carmen versibus fusum vel textus prosæ orationis – reddendum erat.

Fuit sane primus huius hebdomadæ finis methodis vividis classicas linguas docere; at quum una modo illa hebdomas brevius tempus fuerit quam quo immaculatissimi sermonis candorem affectare possemus – quod auribus primum opus fuerit vel rusticiori sermoni nostro assuetis – ante omnia singulis discipulis utramque linguam adhiberi posse, ceu quamvis linguam, clare exhibere nixi sumus, quæ adhibendi consuetudo subinde maxime iuvat ad auctores facilius et penitius legendos, intellegendos, diligendos; præterea non omnino «vesanos» esse qui hisce linguis mortuis studeant, sed contra multos iuvenes Europæos huius disciplinæ studiosos reperiri, eadem gravi Latinitatis contagione laborantes; nonnullis suadere valuimus has linguas reapse claves pretiosissimas esse ad totius cultus Europæ thesaurum aperiendum, quippe quæ ceu communis sanguinis fluxus per sæcula hominumque ætates nostri cultus ac humanitatis radices venasque aluerint.

His omnibus perfectis, Serdicæ locuti sumus cum prof. Mirena Slavova, quæ præest seminario Philologiæ

classicæ Universitatis Serdicensis necnon cum Martha Metodieva, quæ linguam Latinam in Lyceo illo docet, quæ viderunt qualia quantaque essent Latinitatis vivæ beneficia; visæ sunt multum studiosæ ad Latine loquendum et docendum.

Cum Serdicæ mentionem faceremus, prætermittere non possumus quin commemoremus nihil tam aptius et commodius esse quam in urbe capitali Bulgariæ Latine dicere. Nam hæc urbs est sæculo primo p. Chr. n. a Romanis rite condita et propter amœnitatem loci cito multas incolas necnon copias allexit. Augustus Galerius AD 311 Serdicæ suum edictum notissimum divulgavit, quod viri docti «Edictum tolerantiae» nominaverunt (quo decreto imperator Christianos persequi desiit et eorum fidem «æqualem» religioni Romanæ paganæ appellavit). Eius textus hodie et Latine, et Græce in sinu urbis legi potest. Nemini tamen Serdica tam multum placebat quam Constantino Magno, qui dicere solebat «Ἡ ἐμὴ Ῥώμη Σαρδικὴ ἐστίν» et ibi palatium splendidum sibi exstruxit. Post mortem eius filii Constantius et Constans synodum Serdicæ convocaverunt (AD 343), cui episcopi ex toto orbe terrarum interfuerunt, inter quos Sanctus Athanasius Magnus et Sanctus Hosius Cordubensis. Ecclesiam Sancto Georgio dicatam nempe vidimus, in qua patres illi versati sunt, quæ tota et incorrupta ad nostra tempora mansit. At urbs nomen suum hodiernum iam Media quæ dicitur Ætate ab alia antiqua ecclesia Sanctæ Sophiæ (i.e. Divinæ Sapientiæ – Σοφία) nominata accepit et post multa præclara gesta AD 1879 facta est caput Bulgariæ.

Eo prorsus anno Sophiæ a viris doctis, qui studia sua in Germania aliisque in terris perfecerant, apertum est primum gymnasium classicum in Bulgaria, quod genus scholarum citissime per totam civitatem ita divulgatum est, ut sæculo XX ineunte nulla iam urbs extaret in qua litteræ Latinæ Græcæque non florerent (anno prorsus 1921^o inauguratum est Seminarium philologiæ classicæ Universitatis Sophiensis). Quod demonstrandum est per legem, quæ valebat: annis 40^{is} et in Belgio, et in Bulgaria nullus erat aditus ad studia medicinæ vel iurisprudentiæ iis, qui pericula linguæ Latinæ et linguæ Græcæ non superavissent. Eversio autem coinonistica anno 1944^o facta gubernatores novi cito omnia gymnasia classica ut «inconcinna» rebus novis delere potuerunt et hic status usque ad hodiernos dies fortasse mansisset, nisi anno 1977^o cum iam viderent civitatem et præsertim studia humanitatis sine linguis classicis progredi non posse Lyceum, c.n. NGDEK aperuerint, in quo omnes discipuli per quinque annos quaternas horas singulis hebdomadibus linguæ Latinæ, per quattuor annos quaternas quoque

horas linguæ Græcæ, per tres denique annos linguæ Palæobulgaricæ student. Cultui antiquorum dicatæ sunt tres scholæ singulis septimanis tertii anni Lycæi, in ultimis vero duobus annis qui velint tres scholas additicias alterutrius linguæ frequentare possint. Discipuli sæpe a certaminibus linguæ Latinæ Italicis præmia accipiunt.

Proh dolor id Lyceum adhuc solum in Bulgaria manet in quo studiosi linguæ antiquis operam dant (utinam hoc aliquando mutetur!) et quamquam nullius

momenti schola æstiva hornotina videri possit, præsertim iuxta incepta maiorum circularum, scholarum et sodalitatum, notandum est iterum hæc facta esse in civitate qua decem vix homines quotannis linguæ classicis discendis nomen dant. Speramus id quoque, inter cetera, prodesse posse commerciis et vinculis discipulorum, studentium magistrorumque inter scholas civitatesque Europæas necnon in Bulgaria ipsa. Velimus hoc inceptum anno proximo, fortasse cum pluribus discipulis, iterare. ☞

QVID CERTI DE DEO POSSIMVS DICERE

– rogat Samius Jansson –

David B. Taylor optime et eloquentissime scripsit in Melissa 182/MMXIV (p. 14-15) de rebus ad fidem Dei pertinentibus. Velim breviter aliquid de hac re scribere, nam ipse amo quæstiones philosophicas. Imprimis nonnulla principia: 1) philosophiæ est inquirere, *quid certi liceat dicere* de quæstione quacumque; 2) dum *de existentia* alicuius rei loquimur, tum ad rationes metaphysicas nos adplicamus; 3) dum *scientiam* de aliqua re tractamus, rationes præsumimus ad epistemologiam pertinentes.

Renatus Descartes quondam dixit *Sed quotiescumque duorum de eadem re iudicia in contrarias partes feruntur, certum est alterutrum saltem decipi (...)*.¹ Descartes inter alia voluit admonere nos id semper, in ea quid sit certum, invenire posse, etiamsi aliquam quæstionem resolvere nequeamus.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE. Deus, centaurus etc. sunt nomina, quæ significant aut res nescioquas revera existentes aut res plane ficticias. Sed hoc minimi est momenti. Hac ipsa occasione præsumamus neminem nostrum ignorare, quid verba Deus et centaurus significant.

DE VERITATE ET FALSITATE DICTORUM. Si interrogamus «quid aut quale sit Deus» hic furtim duntaxat proponimus *dictum existentiale*, quod evidenter transmutare possumus sic: existit X et interrogare licet, quid/quale sit X. Genus dictorum quoddam alterum dicitur *dicta universalia*, ita ergo «omnes homines sunt mortales» est exemplum facile inventum inter talia dicta. Notandum quidem est dictorum universalium

posse falsitatem probari falsorum, non autem verorum veritatem, sicut nos docet Carolus Popper.² E. g. dictum «nullus homo umquam habet cæruleam cutem» probatur falsum esse si aliquis nobis ostendit hominem cærulea cute natum. Atqui si idem dictum quam firmissime ab aliquo pro vero habetur, infeliciter tamen eius veritas non potest affirmari, nam fieri potest, ut quodam die nascatur et existat homo cæruleus (etiamsi istud vix verisimile sit). Dictorum existentialium, e contrario, verorum veritas potest probari, non autem falsorum falsitas. Ubi aliquis nostris oculis præbet centaurum, is hac ratione probat nobis dictum «centaurus existit» esse verum, id est, verum esse hoc «existit X et X est centaurus». Atquin ante quam illud est factum, ignoramus an hoc dictum «centaurus existit» sit falsum aut verum. Si nimirum falsum est, plane neminem de hac re possumus probatis rationibus certiore facere, nam nihil est, quod contraria re persuaso monstramus homini, ut illius dicti falsitatem probemus. Nulla ex nihilo demonstratio. Hic forsitan aliquis me vituperet admonens Deum esse summum bonum, invisibilem, omnipotentem etc. sed pace vestra, cari lectores, nolim ulterius talia considerare: iam supra satis, ut ipse credo, scripsi de verborum significatione. Nonnescio quosdam Dei existentiam sibi et nobis velle demonstrare «a priori». Hoc autem iam satis bene factum est ab episcopo Anselmo Cantuariensi.³

DE RATIONIBUS AD SCIENTIAM NATURALEM PERTINENTIBUS. Empiristæ appellantur illi qui nulla dicta probari

credunt nisi indiciis naturalibus: «a posteriori», ut philosophorum dicendi mos est. Ita quicumque naturale existere, id posse sensibus inveniri eiusque existentiam demonstrari per experientiam. Ita fieri potest, ut plane nihil de Deo disputent empiristæ, nisi ubi aliquis eis obtrudat dictum de Dei existentia.⁴ Et actutum illi petunt indicia naturalia. Hac in re (mirum est!) æquas rationes sibi optant sic fideles ut atheistæ, sed valde inter se differunt in re, quam sibi demonstrare cupiant. Atheistæ nescioqui forsitan dicant existentiam Dei numquam demonstrari posse indiciis naturalibus, res enim naturales abscondere causam suam existendi, cum e contrario Dei fideles (saltem ficticii) forsitan cupiant postulare nosmet hac ipsa re, qua natura rerum manifesto sit complexa valde et immensa secundumque videlicet leges certas subordinata, esse persuasos naturam rerum horologii instar esse a persona divina designatam et creatam. Ita certum est inter atheistas et fideles saltem alterutros esse deceptos.

DE RATIONIBUS AD EPISTEMOLOGIAM PERTINENTIBUS. Quid de Deo scimus? Ut palæophilosophus noster Plato iam olim demonstravit, nihil scire possumus nisi certis condicionibus affirmatis.⁵ Prima est credendi condicio, secunda veritatis, tertia explicationis. Sin ergo *credimus* dictum «Deus non existit» esse verum, ita condicio prima affirmatur. Si *verum est*, affirmatur condicio secunda. Si denique possumus *explicare*, cur credamus Deum non esse, tertia condicio affirmatur. Explicatio iustificat opinionem. Condicionibus *omnibus* affirmatis vera et iustificata est opinio nostra: «Deus non existit». Sic ad scientiam hac in re pervenimus sensu Platonis: «scientia est opinio vera et iustificata». Interim notandum est, nos posse habere opiniones iustificatas sed simul falsas. Ita fieri potest, ut credamus verum esse et explicemus dictum «Deus non existit», et nihilominus dictum illud falsum esse potest. Hoc nimirum nulla ratione impedit, quin credamus idem dictum esse verum et nos ipsos posse verbis perclaris explicare, cur id verum habeamus. Opinio talis est iustificata, sed sitne etiam *epistemice iustificata*, de hac re numquam certiores fimus nisi dum nobis demonstratur dictum «Deus non existit» esse verum. Atqui demonstratio nihil aliud est nisi explicatio alicuiusmodi. Ita possumus accumulare explicationes ad infinitum sine facultate condicionem secundam affirmandi. Nam ubi explicationem addimus, nonnisi condicionem tertiam affirmamus. Oblivisci non decet id quoque fieri posse, ut credamus dictum verum quoddam attamen illud explicare nescientes. Tunc habemus veram opinionem, non autem iustificatam.

DE DICTO «DEUS EXSISTIT» ET DE RE. Ut vidimus, sensu Platonis dicta nonnisi per se demonstrata scire possumus omnibus condicionibus affirmatis. E. g. «omne triangulum habet angulos tres» est dictum verum per se, nam fieri non potest, ut triangulum habeat plus aut minus angulorum quam tres. Illud, ut

videmus, est dictum universale, cuius generis dictorum falsitas potest falsorum affirmari, ut supra probavi, non autem veritas verorum – nisi hæc nimirum per se ipsa demonstrantur. Resolvenda igitur est hæc quæstio, an dictum «Deus existit» sit dictum universale per se verum. Et gaudeamus illam iam resolvisse Sanctum Anselmum suis rationibus revera astutissimis! Atquin de episcopi nostri demonstratione adhuc si dubitare audemus, nihil restat nobis nisi inquirere, an dictum «Deus existit» potius existentielle sit dictum, cuius veritas nonnisi indiciis naturalibus affirmari potest.⁶ Ita quidem molestiam demonstrandi nobis frustra susciperemus, nam argumentum ad rerum naturam displiceret perspicacissimo nostro Platoni, qui facile nobis ostenderet nos rationibus de entium quotidiani collectione deductis propter infinitam regressionem iustificandi perdere fundamentum scientiæ certæ inque ignorantæ palude immergi, nisi omnes dubitationes repellentes condicionem scientiæ secundam valeamus affirmare. Itaque, coacti essemus nihil minus Platoni monstrare quam ipsum Deum per se evidentem.

DE METHODO. Dum veritas dicti alicuius nobis est probanda, finem hunc numquam petimus absque ulla methodo inquirendi. Carolus S. Peirce nesciubi admoldum faceto more scripsit haud raro homines sibi ad libitum satisfacere assuevisse, ut videtur, methodis nonnisi duabus sibi adprobatis: methodo pertinaciæ et methodo auctoritatis. At sic methodus scientifica ut etiam philosophica plurimos fugit.☞

1. *Regulæ ad directionem ingenii*. Regula II.

2. Carolus Popper adhibet verba «falsificatio» et «verificatio».

3. Archiepiscopus Cantuariæ Sanctus Anselmus excogitavit demonstrationem ontologicam novem circiter sæcla ante. Cfr: <http://www.thelatinlibrary.com/anselmproslgion.html>

4. Aliqui empiristæ sunt fideles, sicut erat episcopus Georgius Berkeley. Is credit Deum esse, sed dubitavit, num ullus mundus extra sensus existat.

5. Platonis *Theætetus*, videte ultimam paginam. Cfr:

http://mercure.fltr.ucl.ac.be/Hodoi/concordances/platon_theetete/lecture/69.htm

6. Hac in re ipse sum fere nominalista, nam nolim dicere dicta universalialia significare res universales per se existentes. Universalialia (si aliquis me cogit hac in re paulum concedere) sicut proprietates «magnitudo», «rubritas» etc. fortassis existant, non autem in mundo idearum, sed potius sensu Aristotelis (realista modicus), qui dixit proprietates inter accidentia esse numerandas. E. g. colorem esse proprietatem accidentalem, quæ non possit existere per se, etiamsi existat in rebus coloratis. Ioannes Locke (empirista) hic scilicet diceret colorem esse proprietatem subiectivam, quæ non existat in rebus. Et Berkeley (empirista extremus) diceret experientiam omnium rerum externarum sensibus esse subiectivam. Eius rationes ad idealismum subiectivum pertinent.

In hoc fasciculo !

- Cultus vitæ - cultus mortis* [G. Licoppe] p. 1
De Andrea Vesalio ante quingentos annos nato (II) [G. Licoppe] p. 2
Nicolai Weynants oratio de Andrea Vesalio [Th. Sacré] p. 6
Memoriæ dies [M. Cristini] p. 12
De schola æstiva in Bulgaria habita [M. Dapsens, D. Dragneu, A. Schutte] p. 14
Quid certi de Deo possimus dicere [S. Jansson] p. 15

Imago tegumenti: Otto Dix, Impetus sub gazis factus, 1924 (Berolinense Museum Historicum).

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*

30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*

25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ. Miscellanea Gaius Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 26 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

